



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnabrvngensis Ecclesiae, Ab Anno Christi
MDCXXVIII.**

Brogberen, Johannes

Coloniae Agrippinae, 1657

Index eorum, quae in hac Synodo continentur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14298

I N D E X

eorum, quæ in hac Synodo continentur.

O rdo & cærimonie Synodi.
Designatio Parochorum.

Constitutionum Synodaliũ

CAP. I. Ingressus Decretorum.

CAP. II. De Ecclesiis.

CAP. III. De his, quæ Pastores concernunt
in Ecclesiis.

CAP. IV. De personis Parochorum quoad
ad se.

CAP. V. De personis Parochorum quoad pro-
ximum.

CAP. VI. De Pastoribus Orthodoxis, in
quorum Parochiis Exercitium A. C. publi-
cum, vi pacis publicæ, in Germania tole-
randum.

ORDO ET CÆRIMONIÆ
SYNODI.



V T primum Illustrissimus ac Reverendissimus Episcopus Osnavrugenſis, D. FRANCISCVS GVILIELMVS, vi pacis publicæ in Germaniã, anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo, die trigesima Novembris, Diœcesi suæ Osnavrugenſi, manu hostili, partim anno trigesimo tertio, partim anno quadragesimo septimo, sibi ablata, restitutus fuit; vix ad tres quatuorve dies Iburgi substiterat; & mox operi manum admovit; vineam Domini, quam ferus aper depastus fuerat, ut restaurare posset, omnem adhibuit conatum; ac idcirco superstites adhuc Orthodoxæ fidei Parochos, omnes exules, ad diem duodecimam Decembris Iburgum citari mandavit, Synodum, non Diœcesanam quidem, sed territorialem celebraturus. Comparuerunt ad præfatum tempus singuli, & præter eos nonnulli alii; qui in locum defunctorum, aut aliorum non Catholicorum, vi pacis publicæ, surrogati fuerunt.

Die itaque duodecimo Decembris, habito prius Sacro de Spiritu sancto in Ecclesia S. Clementis Iburgi, per Dominum Abbatem Iburgensem, ad horam nonam matutinam in aulâ majori Abbatiæ Iburgensis, in qua Illustrissima Sua Celsitudo, ob destructam suam hostili furore Residentiam Episcopalem, tunc commorari debebat, omnes comparuerunt. Præsentibus omnibus, Illustrissimus, indutus rochetto, cruce pectorali, mozettâ, & byreto rubro, comitantibus Illustrissimam Suam Celsitudinem Domino Abbate Iburgensi Iacobo Thorwarth, & Officiali Curie suæ Episcopalis Osnavrugenſis, Domino Ioanne Bischofinck, I. V. L. & Canonico ad S. Ioannem Osnavrugi, nec non quibusdam Patribus, tam Dominicis, quam stri-

ctioris observantiæ S. Francisci, dictam aulam ingressus est, & mox genuflexus inchoavit hymnum, Veni Creator Spiritus. Post primum versum decantatum, surrexit Illustrissimus, & reliqui omnes, quoad prædictus hymnus absolutus fuerat. Finito hymno, Illustrissimus subiunxit Collectam, Adsumus Domine, ut in Pontificali. Post hæc per dimidiã horæ spatium Latino sermone ad Clerum præsentem peyoravit. Quo finito, denuo citati omnes ad horam secundam pomeridianam; ac deinde Illustrissimus, modico spatio genuflexus, cum reliquo Clero, opem & assistentiam Spiritus sancti humillimis ad Deum precibus imploravit; & committatus à suis, discessit.

Hora secunda pomeridiana, loco eodem, coram Illustrissima sua Celsitudine, Domino Abbate Iburgensi, D. Officiali Osnavrugenſi, & aliis diversorum Ordinum Religiosis, singuli de Clero præsentibus, soli evocati fuerunt, ut ad sequentia Interrogatoria responderent: Quale nomen, cognomen, quos habeant Ordines; ubi & à quo ordinati; quando expulsi, seu eiectioni hostili manu ex suis beneficiis & officiis Ecclesiasticis; cui rei & quousque studuerint; quantum antehac habuerint numerum personarum, communicantium, Catholicorum, heterodoxorum; quales reditus, qualia paramenta, & alia Ecclesiarum iura; item ubi & quomodo hactenus in exilio vixerint, sese sustentarint; testimonia desuper vitæ & morum exhibentes. In specie etiam pro cura animarum examinati, & Parochiis singulis præfixi fuerunt.

DESIGNATIO
PAROCHORVM.

IN Cathedrali Ecclesia Osnavrugenſi S. Petri, Conradus Burenus, ad S. Ioannem ibidem Canonicus.

In